

ebdomadibus in crepusculo noctis quartę ferię animam cęlo reddit, et ita usque in diluculum dominicę diei velut mortua remanet. Per illud itaque transitus eius spacium spiritus sanctus corpus eius intrat, qui per eam tanquam instrumentum suum docet populum et instruit oculis eius non apertis, sed motis tantum ore et manibus. In die siquidem Iovis primo sermonem facit ad populum de proditiōe, qua prodidit Christum Iudas Iudeis, et de penitentia, qua sacerdotibus peccata confiteri in remissionem peccatorum nos oporteat¹. De his et de cęteris similiter sermonem ter faciens quaque vice tanto spacio loquitur, quanto leugam aliquis posset ire. Sexta autem feria de passione domini nostri Ihesu Christi et eius virtute et de vulnere eius, quo vulneratus est, et de alapis, quas dederunt Iudei manibus, ostendens, qualiter omnia facta fuerint, ter in die ad populum loquitur et quaque vice quo supra dictum est spacio. Spineam vero coronam huiusmodi fuisse dicit: admodum videlicet parvi pulvinaris sacculum fecerunt, quem spinis impleverunt et capiti Christi imposuerunt et baculis desuper percusserunt. Sabbato vero de sacramento baptismi et eius virtute ter in die et quaque vice eo, quod supra dictum est, spacio ad populum loquitur. Docet etiam, qualiter infans in peccatis concipiatur et qualiter in utero matris alatur, et eius naturam rationabilius, quam aliquis physicus disserere possit, elucidat. Dicit propterea², qualiter diabolus possideat infantem, ex quo vivere incipit. Unde non mirum, ut ait, si, cum nascitur, clamet velut possessus a demone, donec ad sacramentum baptismi provocatur. Tunc vero diabolus videns cum stola et aqua benedicta sacerdotem venientem, pavet et miratur, sed, cum immergitur aqua, diabolus rugiens a puero exit. Semper tamen insidiando evomitur³. Nec mirum, cum prorsus doleat tale habitaculum se amisisse. In diluculo autem dominicę diei, antequam anima ad corpus redeat, decimum et ultimum facit sermonem de domini resurrectione et gaudio eorum, qui deum in presenti seculo digne coluerunt et ei servierunt. Cum autem anima ad corpus redit, ea, qua surrexit Christus, hora, surgit a lecto et abluto ore et manibus audit missam. Deinde adorat crucem, postea accipit corpus domini. De aqua vero, qua ipsa abluit manus et os, febricitantes et egroti sanantur bibentes. Si quis

1) Durch Ausstreichen ist getilgt: 'Deo enim, cui nil constat occultum, non indigemus confiteri'. 2) Es ist wohl 'preterea' zu lesen.

3) So Hs. Red.